

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Compassio o  
cum fonte primo

Triplex est modus compassionis:  
est quippe compassio  
alia ex uicio, alia ex natura, alia ex uirtute.  
Compassio ex uicio est quando  
affectus illic reprehensibili dolore tangitur  
ubi illicito prius amore tenebatur.  
Compassio ex natura est quando  
ex insito sibi pietatis affectu  
animus alienis erumpnis condolet  
quociens contra pietatis uel humanitatis  
mensuram naturam primi siue affligi uidet.  
Compassio ex uirtute est quando  
propter Deum alienis doloribus compatimur,  
cum scilicet iusticiam premi uel innocentiam  
affligi uidemus.  
Compassio ex uicio culpabilis est,  
compassio ex natura irreprehensibilis,  
compassio ex uirtute laudabilis;  
prima reprehenditur, tertia laudatur,  
secunda nec culpam habet  
quia ex natura est,  
nec premium quia ex uirtute non est.

Hugo de tribus uoluntatibus in Christo.

Triplex enim compassionis modus est.  
Est quippe compassio,  
alia ex vitio, alia ex natura, alia ex uirtute.  
Compassio ex vitio est quando  
affectus illic reprehensibili dolore tangitur,  
ubi illicito prius amore tenebatur.  
Compassio ex natura est quando  
ex insito sibi pietatis affectu  
animus alienis aerumnis condolet,  
quoties contra pietatis uel humanitatis  
mensuram naturam opprimi siue affligi uidet.  
Compassio ex uirtute est quando  
propter Deum alienis doloribus compatimur,  
cum scilicet uel iustitiam premi uel innocentiam  
affligi uidemus.  
Compassio ex vitio, culpabilis est;  
compassio ex natura, irreprehensibilis;  
compassio ex uirtute laudabilis,  
prima reprehenditur, tertia laudatur.  
Secunda autem nec culpam habet,  
quia ex natura est;  
nec praemium, quia ex uirtute non est.

Hugo de sancto Victore, *De quatuor  
uoluntatibus in Christo libellus* (PL 176,  
col.844A-B).